



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio III. De Actione Angeli, quæ est illuminatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

reperitur in tali verbo; tale verbum erit sufficienter manifestativum. Tum quia, si illud verbum, non esset de se sufficienter manifestativum mentis, & diceret ordinem essentialem, nexumque ad manifestandum alteri & non diceret: diceret quidem ut supponitur ex explicitatione sententiae: non diceret autem, quia non esset sufficienter manifestativum: Quomodo enim essentialiter aliquid est ad manifestandum, si non est sufficiens manifestare? Tum quia verbum in sua specifica conditione non directum ad alium, est ipsi noscenti sufficienter representativum; Ergo & verbum in sua specifica conditione dicens nexum ad manifestandum alteri, erit eidem sufficienter manifestativum.

PROBATUR 3. Quia in primis hæc Explicatio est conformis ad locutiones nobis per experientiam notas. Et ex alia parte salvat omnia, quæ in hac materia difficultatem habent: Salvat enim in primis quomodo possit uni loqui, quin loquatur alteri: Quia scilicet dicit nexum illius verbum non nisi cum hoc, idque ex conditione talis suæ formationis. Et sicut hæc ordinatio voluntatis ad hunc, facit ut non nisi hic noscat: Ita & nexus verbi illius cum hoc, faciet ut non nisi hic noscat, supposito pro utraque parte iure secreti, aliàs explicato.

Deinde salvat, quomodo non omnes nostræ intellectiones sint locutio: Nam non omnes dicunt istum ordinem. Ostendit item, quid de novo tunc ponatur: nempe ipsa intellectio, habens talem ordinem, suæ conditioni innexam.

Ostendit insuper, quomodo unus Angelus alteri mentiri, eique æquivocare possit: Quia potest habere cogitationes tales directas ad alium, quales nos habemus, dum dirigimur ut æquivocemus.

Denique per hanc sententiam conciliantur alia. Nam cum sententia Vasquez coincidit ponendo locutionem esse intellectionem. Concordabit cum sententia Arriaga requirendo applicationem intellectus ad formandum tale verbum, sitque ex imperio voluntatis. Nihilominus non in sola volitione statuimus locutionem; quia experimur, nos, saltem interdum interius, aliis loqui, sine ulla ordinatione voluntatis quæ tali. Nec hanc locutionem statuimus in cognitione reflexa; quia experimur nos interne loqui alteri, non reflectendo nos, quod cogitemus, taliter illi loquendum esse, sed procedendo ad directam formationem, jam descripti verbi mentis.

OBJICITUR 1. De hoc ipso quæritur, quomodo illa ipsa manifestatio perficiatur?

RESPONDETUR. Elicitivè perfici illam ab intellectu, formaliter autem stabit prædicatis, quæ explicuimus.

OBJICITUR 2. Ex dictis deberent esse multæ actus nostri manifesti; imò & angelici; quorum tamen occultatio, esset bonum naturæ intellectualis. Ut si ex primo motu indignabundè unus loquatur alteri.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, & inquirendo quid sit futurum, si aliquis subitaneo motu, velit alteri manifestare suum conceptum? Si dicas hoc ipso exire illos ex iure secreti, subdique juribus communibus noscendi, idem & nos dicemus. Quod si dicas, quod locutio debeat esse communicatio libera & voluntaria propriæ mentis, utpote bonum appropriatissimum, libere operanti, naturæ rationali, cumque hæc libertas non sit in subitaneis motibus; hinc sequi, quod nec illis perficiatur locutio: Idem in præsentem nos dicemus, quod bonum locutionis sit bonum advertentis naturæ rationalis appropriatum, quæ advertentia non salvatur in subitanea illa verbi formatione.

OBJICITUR 3. Hæc sententia supponit locutionem unius Angeli ad alium consistere in actu aliquo immanente loquenti, quæ in audientem non transeat, quod non potest dici: Quomodo enim ad audiendum determinetur?

RESPONDETUR. Sicut ipsum objectum præsens, complet speciem Angeli, ut in illius objecti notitiam prodeat, nihil agendo vel in speciem, vel in intellectum Angeli: Ita idem fieri poterit in præsentem; sufficietque sola immutatio intellectus Angeli audientis, stans in actuali perceptione ejus objecti, quod illi manifestatur.

QUÆSTIO III.

De Actione Angeli, quæ est illuminatio.

SPECIES locutionis est Illuminatio: Omnis enim illuminatio est locutio, quamvis non omnis locutio, sit illuminatio: Nam inferiores Angeli loquuntur etiam superioribus, non tamen illos illuminant. Tota difficultas in præsentem est quid sit illuminatio: Nam ex hac explicatione pendet, quinam Angeli, & in qua materia illuminent? In quibus duobus tota hæc materia vertitur. Neque enim jam disputatur, An de facto detur Illuminatio: Supponitur enim ab omnibus contra Durandum eam dari, propter auctoritatem Dionysii de Cæl. Hier. L. cit. c. 14. *Hæc lex à Deo sancita est, inquit, ut in unaquaque Hierarchia & primi sint, & medi, & postremi ordines; inferiorumque superiores Doctores sint, eisque quasi digito, viam monstrant.* Similia habet Damasc. Lib. 2. de Fide orthod. c. 3. Bern. L. 5. de Consid. c. 4. Et alii apud Joan. à S. Thoma disp. 25. a. 2. & ante illum apud Suarez L. 6. c. 11.

EXPLICANT 1. aliqui. Quod Illuminatio sit locutio angelica habens has condiciones.

Prima quod sit de contingentibus: Nam in necessariis censentur omnes esse illuminati. Secunda quod sit de re certa, siquidem illuminatio perficit intellectum, intellectus autem non perficitur nisi certa cognitione. Tertia ut sit supernaturalis. Quarta ut sit accommodando sese inferiori, per divisionem objecti. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia etiam circa entia necessaria, non de omnibus sunt omnes æqualiter illuminati: Nam v.g. altior potest noscere plura ex possibilibus, cur ergo data saltem rariori occasione, non poterit de illis illuminare inferiorem? Tum quia cur veritatem, quæ circa Deum versatur quasi in attestazione, non posset percipere inferior Angelus, credens attestanti superiori Angelo, quod hoc noscat, & tamen hæc illuminatio, foret circa necessaria; quid enim Deo magis necessarium? Tum quia Angelus superior subtilius & penitus penetrat prædicata inferioris, sicut & ipse Deus idem objectum penitus noscit, cur ergo non poterit inferiori communicare illam notitiam?

Neque valet si dicas, circa hæc non dari illuminationem; quia jam inferiores Angeli constituerentur pares notitiæ superioribus; non inquam valet, quia probat in nulla re inferiores illuminari; quia illuminatione redderentur pares in notitiâ. Quod si adhuc recurras ad id, quod in modo noscendi non essent adhuc pares, & quod non de omnibus illuminentur, & quod nonnisi in auctoritate attestantis attingant, id etiam in præsentia dici poterit. Et hæc sunt, quæ probant notitiâ illam illuminativam posse versari circa necessaria.

Quod attinet ad secundam conditionem in contra est ratio. Cur enim aliquis Angelus superior, circa rem aliquam obscuram, probabiliter discurrens, non poterit illum suum discursum inferiori Angelo communicare? Quæ communicatio verè erit illuminatio; quia etiam nos à Magistris illuminamur, cum in re difficili valde, probabiles illorum discursus audimus. Falsum item est perfici intellectum nonnisi certissima cognitione; aliàs nonnisi visione beata perficeretur, hæc enim sola est certissima cum evidenti notitiâ. Quod si potest perfici intellectus etiam notitiâ certa, poterit etiam bene perfici, etiam probabili. Cujus ulterior hæc est ratio. Quia cum nonnisi solus error sit defectus intellectus, omne quod error non est, defectus non est: Nulla autem probabilitas est error, immò interdum probabilis notitiâ magis afficit, quàm certus discursus: Sicut probabilis explicatio hujus ipsius illuminationis magis afficit, quàm certus discursus rustici, maculandas esse rotas, in luto.

Quoad tertiam conditionem Ratio in contra. Quia illuminatio potest perfici etiam circa objectum naturale: Cur non enim? Idq; docuit

S. Thomas q. 106. a. 1. ad 2. ubi dicitur. Quod superior illuminando, non tradat quidem inferiori lumen naturale, convertat tamen illud manifestando ei veritatem, de his, quæ pertinent ad statum naturæ. Noster intellectus perfectetur demonstratione de natura quantitatis & compositione, & tamen hæc demonstratio est naturalis. Cur non ergo idem dicemus de Angelis?

Quod ad ultimam conditionem attinet, illa universaliter si ut sonat accipiat falsa est; quia cur circa objectum etiam intentionaliter indivisibile, non posset unus illuminare alium? Deinde si superior Angelus noverit in Deo veritatem contingentem, de peccato Petri cras implendam, nunquidne prius dividendo debet illi manifestare notitiâ peccati, subinde Petri peccati, ac demum nonnisi peccati cras futuri.

EXPLICAT 2. Aliquis fundamento desumpto ex S. Thoma hic q. 56. a. 1. in Corp. supponit quod illuminatio sit locutio angelica ordinata ad dirigendum illuminationem, in ordine ad suum ministerium, rectè & juxta veritatis primæ lucem exercendum, vel ad habendum se debite circa Deum, per amorem.

Quod ipsum sic explicabat. Lumen secundum quod ad intellectum spectat, nihil aliud est, quàm quædam manifestatio veritatis, & per hoc unus Angelus alterum illuminat; quia illi veritatem manifestat, hocq; ipsum facit, quia & fortificat virtutem illius intellectivam, & veritatem, quâ ille universaliter percipit, ita distinguit ut ab inferiori capi possit, quamvis hoc non ad omnem illuminationem requiratur. Et certe cum ad intelligendum duo concurrant, intellectus & species impressa, secundum hæc duo Angelus superior inferiori veritatem sibi notam manifestare potest, nimirum & potentiam illius intellectivam confortando, & veritatem proponendam dividendo. Hæc ipsa autem confortatio nihil aliud est, quàm conversio unius Angeli ad alium, quod enim in corporalibus facit ordo localis propinquitatis, hoc facit in spiritualibus, ordo conversionis. Quemadmodum igitur virtus imperfectioris corporis, confortatur ex situâ propinquitare perfectioris corporis, ut minus calidum, crescit in calore, ex præsentia magis calidi, ita & virtus intellectiva. Rursus, quoniam conversio corporalis unius ad alterum, est veluti quidam accessus unius ad alterum, ut conversio faciei ad amicum, est accessus ad amicum; ita & conversio Angeli, est quidam accessus. Quoniam vero spiritus non habent necesse ad se accedere, vel recedere substantialiter, sed solum moraliter, & affectibus: unde & Ecclesia conversionem peccatoris, quæ est quidam accessus ad Deum, explicat per affectum peccatoris: Hinc fit utile accessus Angeli ad Angelum & libera ordinatio rei manifeste.

manifestanda in Angelo directa ad notitiam alterius Angeli. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia non apparet ratio, cur illuminatio haberi non possit, etiam in ordine ad alias veritates, & non tantum ut fungatur rectè suo ministerio, vel ut se habeat debite in ordine ad amandum Deum. Tum quia multi sunt Angeli, qui non funguntur ullo ministerio, quomodo ergo illi illuminarentur? Imò probabilius est in ordine ad ministerium illuminationem immediatè proficisci à Deo: quid enim spectat ad alterum, cui non est illa delegata cura, attendere illi ministerio? Tum quia, non apparet qui affectus unius Angeli erga alium, sit confortatio ejusdem.

Instituto nihilominus doctrinæ S. Thomæ, cui etiam insitit prædicta explicatio, ut difficultas explanetur.

PRÆMITTO I. *Lumen secundum quod ad intellectum pertinet, nihil est aliud quam quedam manifestatio veritatis, secundum illud ad Eph. 5.* Omne quod manifestatur, lumen est: Quia verò manifestatio veritatis potest sumi & pro formali manifestatione seu manifestatione ut quo, & manifestatione quæ est per modum principii seu manifestatione ut quod; ideo & lumen aliud est, quod est ipsemet intellectus, qui appellatur lumen à Deo signatum, & ipsamet intellectio.

PRÆMITTO 2. *Quia tota veritas desumitur proximè à participatione veritatis per essentiam quæ est Deus, ita ex illa etiam desumitur tota vis illuminandi.* Jam verò veritas illa per essentiam quamvis ab omnibus Beatis prout est principium veritatum excedentium, & non excedentium videatur, nihilominus ut loquitur S. Thomas, rationes divinorum operum, quæ in Deo cognoscuntur sicut in causa, omnes quidem Deus in seipso cognoscit, quia seipsum comprehendit, alii tamen videntes, tantò unusquisque in Deo plures rationes cognoscit, quantò cum perfectius videt. Quia verò superior Angelus ut supponitur, & docet S. Thom. citatus, plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoscit, quam inferior; fit ut habeat radicem, titulum illuminandi, & quasi ex possessione sui intellectus illuminati, decidendi particulas luminis, in intellectum inferioris, sive secundum quod attingit Deum prout est principium excedentium & supernaturalium veritatum, sive non excedentium. Nam de utrisque rationibus plus est illuminatus, à lumine, quod est Deus, perfectioque major naturæ, requirit maiorem participationem Dei veritatis per essentiam, etiam in ordine naturali. Per quod non distinguimus quidem Angelos ratione objectorum, quasi non essent sibi pares in objectis naturalibus noscendis, sed distinguimus in modo perfectiore noscendi. Et sicut eandem veritatem noscendo doctus & minus doctus, doctus

percipiet idem penitus: Ita idem contingere potest in Angelis, ut ita modo essendi perfectioni specifico, proportionetur modus etiam cognoscendi specificus.

PRÆMITTO 3. *Quis modus sit supposita illa notitia perficienda illuminationis?* Cum illuminatio sit species locutionis, & locutio ut dictum supra, species intellectiois; sicut perficitur intellectio, ita perficitur & illuminatio; quia verò ad intellectioem concurret ipsa potentia intellectiva, & similitudo objecti quæ est species impressa, fit ut Angelus illuminans duobus commodare & subvenire debeat illuminato.

PRÆMITTO 4. *Quod attinet ad intellectum illuminati, illi non potest subveniri tradendo illi lumen intellectus, seu ut loquitur S. Thomas ad secundum, tradendo ei lumen naturale, cum ille intellectus, sit identificatus ipsi substantiæ Angeli, quam unus alteri non confert; quia cum non creat: Si autem intellectus est distinctus realiter, emanatur nonnisi à substantia Angeli, non ergo potest subvenire illuminato, tradendo ei lumen naturale, sed tamen ei commodatur & subvenitur, confortando lumen naturale ipsius. Jam autem ipsa confortatio ex S. Thoma ibid. fit per conversionem unius Angeli ad alium; ipsa autem conversio conformiter addita, est ordo manifestandi, sive fiat per signa sive per directionem voluntatis &c.* Qua manifestatione posita confortatur lumen naturale illuminati; quia scilicet communicatur ei veritas, saltem eo modo percepta, ad quem modum attingendi, se solo non pertigisset illuminatus: Sicut enim in materialibus, illud dicitur confortari, quod evadit tale, ut possit aliquid ex illo addito, quod ante non potuisset; ita fit & in presenti.

PRÆMITTO 5. *Quod attinet ad similitudinem objecti, quæ est species impressa, hæc etiam illuminans, subvenit illuminato duplici ex capite: In primis quia principiat illam ipsam conversionem, seu intellectualem manifestationem, sine qua tanquam ratione illuminandi ut quo, non fuisset ipse illuminatus. Subvenit secundò ex hoc, quia veritatem quam universaliter concipit illuminans, quodammodo distinguit, inquit S. Thom. ut ab inferiore capi possit. Quod ipsum sic explicatur.*

Species Angeli quò superiores eò universaliiores habent, quibus dupliciter utuntur, adæquando scilicet unam cognitionem toti latitudini illorum objectorum, ad quæ se extendit illa species, & eomodo non subvenit illuminato, quia tot objecta simul non se extendit. Secundò potest concurrere ita illa species, ut concurrat secundum vim representandi in adæquatam, sicque commodant illuminato distinguendo per pauciora: Sicut etiam apud nos, inquit S. Thom. Doctores quod in summa capiunt, paul-

P.
MLOD
OWSKI
de Z.
VI

multipliciter distinguunt providentes capacitati aliorum. *His præmissis*

EXPLICATUR. Illuminatio, quod sit locutio seu manifestatio ab Angelo superiori profecta, ut dixi Præmissis primo: de re noscibili seu objecto naturali, aut supernaturali, ad cuius notitiam inferior se solo non pertigisset, ut dixi Præmissis secundo. Perficitur autem hæc illuminatio activa, per eadem principia, per quæ & intellectio, ut dixi Præmissis tertio, scilicet quando intellectus superioris confortat intellectum inferioris, confortatione stante in communicatione notitiæ, quæ notitia non conveniret illi, ut dixi Præmissis quarto. Insuper etiam conferente ad hoc specie, in quantum format notitiam, quæ sit apta illuminandi capacitati, ut dixi Præmissis quinto. Ad quam illuminationem activam sequitur illuminatio passiva: & conceptio illius conceptus ab illuminante directi: Neque tamen erit illuminatio hæc aliquid supernaturale; quia non proficiscetur à principio, quod sit supra exigentiam naturæ.

QUÆSTIO IV.

*De Actione angelica, quæ est
Motus.*

Multa hinc supponenda sunt ex Philosophia, ut quid loco motiva angelica? quid motus? quid ubi? Hæc enim omnia sunt juris Philosophici. Ea quæ magis Theologica sunt, scholasticæque versantur, perstringemus.

PRÆMITTO 1. *Quod Angelo competat esse in loco.* Ratio, quia Scriptura tribuit illis locum assistentiæ in cælo, progressus ex uno loco in alium, &c. quæ omnia nihil vetat simpliciter & ut sonant accipi; fundaturque hoc in eo, quia cum non sint immensi, hoc ipso non sunt determinati ad implendum spatium, atque ab illo capiuntur. Quod innuit Ambrosius L. 1. de Spiritu S. c. 10. *Seraphim de loco ad locum transit, non enim complet omnia.* Esse autem Angelos nonnisi definitivè in loco. Ratio est, quia cum sit spiritualis, partes non habet partibus loci commensurabiles, & tamen est in loco: hoc autem est esse in loco, nonnisi definitivè. Unde ulterius sequitur formalitatem essendi circumscriptivè in loco, non desumi, exinde, quod divisibile spatium occupet: De facto enim in Eucharistia divisibile spatium occupat Christus correspondens scilicet hostiæ, & tamen illic, est nonnisi definitivè.

PRÆMITTO 2. *Quod Angelus non tantum indivisibilem locabilitatem habeat, sed etiam divisibilem.* Hæc divisibilis locabilitas in hoc stat, quod detur in Angelis virtualis extensio ad locum, & æquivalentia ad quantitatem, in quantum illa dicit extensionem localem. Quod ipsum sic explicari potest.

Materialia & corporalia quamvis sint poste-

riora ordine & dignitate præ spiritualibus; nihilominus habent suas perfectiones quæ suo modo reperiantur etiam in spiritualibus, seclusa ratione corporis; & ita materialia composita, percipiunt sua objecta; quæ perceptio objecti, non est etiam indigna, immo necessaria substantiis spiritualibus: sed quia illa perceptio sensibilitatem importat, & sensibilitas corporeitatem, objecta illa Spiritus nec corporaliter, nec sensibilibiter percipiunt, quia ipsi Spiritus nec sensitivi sunt nec corporei, sed faciunt id modo spirituali, quod faciunt modo corporali materiales Substantiæ. Porro inter perfectiones quas habent corpora, est etiam extensio localis ut docet sensus, quæ perfectio non est etiam indigna spiritibus, modò secernantur prædicata corporeitatem imbibentia. Et ita perfectissimum spirituale Deus, omnem locum divisibilem occupat, quæ occupatio loci divisibilis, etiam in Deo, arguit extensionem virtuales: Nam si Deus ita esset inextensibilis ut punctum, sicut punctum non potest extensum spatium occupare, sic nec Deus posset. Sed quia extensio habet aliqua prædicata imbibentia corpus, quæ Deo, nullique enti spirituali convenire possunt, fit ut illi conveniat extensio, seclusis prædicatis corporeitatem imbibentibus; quale prædicatum, talem imperfectionem imbibens, est partibus suis, vel actu vel potentiâ, (ut Christus in Eucharistia) posse respondere partibus loci. Hoc secluso, obtinet Deus non nisi solam occupationem spatii divisibilis, idemque habent aliz substantiæ spirituales. Et licet impossibile sit, ut si poneretur etiam quantitas materialis in puncto materiali, reddat illud extensum materialiter: quia ad extensionem materiale, est necesse habere partes materiales, quibus caret punctum. Sed si ad hanc materiale extensionem non indigeret partibus, appositione quantitatis illius extenderetur. Cum ergo extensio spiritualis non indigeat partibus, identificetque sibi æquivalentiam ad extensionem localem principiandam, fit ut ratione illius virtutis, divisibile spatium occupare possit.

Hæcque dicta sunt ad explicandum, quomodo Angelus sphaeram suæ locabilitatis impleat: Nam dum se colligit ad punctum, non utitur illa extensione sua virtuali. Imaginari hic est necesse & Dei præsentis, loco, & animæ rationalis, informantis corpus, præsentiam.

PRÆMITTO 3. *Quid sit sentiendum; An Angelus possit esse in pluribus locis, & plures in eodem?*

ASSERO 1. *Non potest esse Angelus in pluribus locis sibi adequatis, secundum totam sphaeram suæ locabilitatis.* Ratio, quia & essent illa loca adæquata, secundum totam sphaeram locabilitatis; & non essent. Essent quidem ut supponitur: non essent autem, quia præter unam sphaeram locabilitatis adæquatam, occuparet adhuc aliam sphaeram locabilitatis adæquatam.

ASSE-